

Vivamus mea Lesbia, & amemus,  
Rumoresq; senum severiorum  
Omneis unius æstimemus assis.  
Soles occidere & redire possunt,  
Nobis, quum semel occidit brevis lux,  
Nox est perpetuò una dormienda.

*Ex eadem perditâ scholâ scripsit Sextus Aurelius*

Dum nos fata sinunt, oculos fatiemus amore,  
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Mortuus est Christus propter peccata nostra,  
surrexit etiam propter justificationem nostram. Ergo  
& nos morienti commoriamur oportet, cumq; resurgente resurgamus.  
Ideò enim Christus pro omnibus mortuus est & resur-  
rexit, ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed illi  
qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. *Resurgunt nunc*  
*arborea, resurgunt prata, resurgunt animalcula,*

Atq; renascentis testantur gaudia mundi,  
*resurgat ergo & anima Christiana, inq; studio novæ vitæ ambu-*  
*lare incipiat. Non est de nihilo, quod DEUS corporum resurrectionem*  
*in extremum mundi diem distulerit, resurrectionem verò animarum ne*  
*puncto quidem temporis differri velit; Resurrectioni corporum unam*  
*tantum diem, unum unius diei momentum tribuit, sed animarum re-*  
*surrectioni totum illud, quo mundus permanebit, tempus attribuit.*  
Semel *siquidem* corpus moritur, semel resurgit; resur-  
rectiones autem animæ sunt plurimæ, quum iidem homi-  
nes, quotiens peccato vulnerantur, totiens moriantur, totiens pœniten-  
tiâ resurgere debeant, ac proinde corporis resurrectio ex animæ resur-  
rectione pendeat vel maxime. Nisi resurrexerit anima ante  
mortem, resurget corpus ad mortem, ut unâ cum ani-  
mâ torqueatur in æternum; Sin anima resurrexerit â  
peccatis ante resurrectionem corporis & illud resur-  
rectionem ad salutem consequetur. *Atq; sic omninò cor-*  
pus